

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

Molina, Luis de

Lugduni, 1622

Vtrum præter Physicas disciplinas necessaria sit alia doctrina ad salutem.
art. 1. disp. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](#)

2 Generalis partitio Theologiæ.

vigesimam secundam : quoad Sacraenta vero à A principio quarti libri, vñque ad distinctionem 42. D. vero Thomas de Incarnatione, & reliquis quæ ad Christum spectant, differit 3. parte ab initio vñque ad questionem 59. à sexagesima vero, Sacramentorum tractationem persequitur.

Quinta denique pars statum sempiternae felicitatis. Deumque, vt supernaturalis est hominum finis quoad affectionem, contemplatur. Atque ita vniuersa Theologia quasi auro quodam circulo à Deo incipiens, & per creaturas excurrens, ad unum ordinatissimum regreditur. Duximus in quinta parte Theologiae Deum considerari, vt est ultimus finis quoad affectionem, quia quoad intentionem, prior est consideratio finis, quam mediorum quæ ad finem conducunt: qua ratione D. Thomas ad initium primas secundæ disputat etiam de ultimo fine, quantum locus ille postulat: at vero quinta pars Theologiae, de ultimo fine, statuque Beatorum differit quoad executionem & affectionem, quo pacto consideratio finis posterior est consideratione eorum quæ ad finem ordinantur. Ceterum non solum considerat sempiternam felicitatem, statuque Beatorum, quoad animam & corpus: sed etiam ea, que, vt praerentia, omnis coniuncta sunt: in quibus resurrectione mortuorum, generale, & proprium cuiusque iudicium, ignis, & locus Purgatorij numerantur. Quia vero oppositorum eadem est disciplina, agit etiam de statu & receptaculis eorum, qui poenitentiam damni, quam sensus in sempiternum tempus addicuntur. Hanc partem Theologiae tradit Magister in 4. à distinctione 43, vñque ad finem libri. D. vero Thomas in Summa non solum eandem non attinet, sed ne sacramentorum quidem explicationem morte praeventus absoluit. Quia ergo haec quinque partes, in quas vniuersam Theologiam distribuimus, non solum multò congruentiori ordine, sed etiam longè copiosius tradidunt in Summa à D. Thoma quam antea, vel ab eodem variis in operibus, vel à Magistro, caterisque eius commentatoribus explicata fuerint, meritò hoc ultimum Diui Thomæ opus, quasi postremum eius voluntatem ac testamentum, nobis cum incredibili Ecclesiæ veritate relictum, commentandum præceteris delegimus.

*In quas partes distribuatur prima pars Summae
D. Thome.*

*Prime partis
D. Thomæ di-
stributio.*

Praeterea prima quæstione huius primæ partis Summa Diui Thomæ, in qua disputat de scientia ipsa Theologia in se spectata, reliquæ quæstiones, in quibus iam aggreditur explicacionem obiecti Theologiae, in tres partes principiæ distribui possunt. Prima, quæ à quæstione 2. vñque ad questionem 26. protendit, disputat de Deo, quia unus est in Ueritate, & de attributis, quæ illa spectato conueniunt. Secunda, à quæstione 27. vñque ad 43. differit de Deo, quia Trinus est in personalis, ac de mirabili summa Trinitatis mysterio. Tertia denique, vñque ad finem primæ partis, in Dei Optimi Maximi contemplatione perfatur, quatenus rerum omnium creaturarum effectus est, atque gubernator.

QVÆSTIO I.

De sacra doctrina qualis sit, & ad quæ se extendat.

ARTICVLVS I.

Vtrum præter physicas disciplinas necessaria sit alia doctrina ad salutem.

DISPUTATIO I.

LIVD hoc loco ante omnia animaduertendum est, duobus modis disciplinam aliquam posse dici physicam sive naturalem, uno, ex obiecto, quia rem naturalem, minimè separatam à materia sensu subiecta considerat: hoc modo scientia physica distinguitur ab Arist. 6. Metaph. cap. 1. à Metaphysica, Mathematicis, & iis scientiis, quæ in præceptis verantur. Altero modo, ex lumine ipso, quo dignatur: quo pacto disciplina omnes, quæ lumine naturali acquiruntur, Physica appellantur. Atque hoc pacto accipit D. Thomas hoc loco disciplinam physicam, ut ex corpore Articuli perspicuum est. Quare proposita disputatio hunc habet sensum. Num præter disciplinas, quæ lumine naturali comparantur, necessaria sit alia ad salutem, quæ lumine supernaturali diuinæ reuelationis acquiratur.

Supponit D. Thomas eorum, quæ nobis diuinatus reuelata sunt, quedam esse, ad quorum cognitionem solis natura viribus accedere non poteramus, ut finem præmitumque nobis propositum esse supra natura facultatem, considereremus in clara Dei visione, arcanæ Trinitatis arce Incarnationis mysteria, & alia similia: quedam vero, quorum cognitio solo lumine naturali comparari poterat, ut Deum esse, esse unum, esse omnium rerum principium, & id genus alia.

Hoc supposito, tres statuit conclusiones. Prima est. Quod attinet ad reuelata prioris generis, necessarium fuit ad salutem, ut præter disciplinas, quæ lumine naturali comparantur, esset alia, quæ per diuinam reuelationem eorum aliqua hominibus insenserent. Hanc probat exemplo adhibito in ultimo fine ac premio nobis proposito. Cum enim cognitio illius necessaria sit ad salutem (quandoquidem præcognitio finis necessaria est, ut homines se & suas actiones in illum referant) haec vero excedat facultatem intellectus solo lumine naturali illustrati, iuxta illud Esaïæ 64. *Oculus Deus non vidit absque te, quæ preparasti expectantibus te, quod citans, atque amplius explicans Paulus 1. ad Corinth. 2. ait: Oculus non vidit, neque auris audiuist, neque in cor hominis ascendit, quæ preparauit Deus iis, qui diligunt illum, nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum: consequens est, ut ad salutem necessaria fuerit hominibus disciplina, quæ supernaturaliter aliqua ex reuelationis prioris generis agnoscerentur.*

Secunda est. Quod attinet ad reuelata posterioris generis, fuit etiam necessaria ad salutem disciplina, quæ ea quoque nobis reuelarentur. Hanc probat, quia à paucis, ac per longum tempus, nec sine multorum errorum admixtione huiuscmodi res solo lumine naturali addiscuntur: quare cum ex illorum cognitione falsus hominum pendeat, utique ut animæ salus, & certius, & pluribus obueniret, necessarium fuit illam etiam per reuelationem haberet.

Tertia

*Sensus qua-
stionis.*

*Duo genera
rerum quas
per reuelationem nouimus.*

*Prima con-
clusio.*

2. Conclusio.

Cunctis. Tertia, qua ex duabus præcedentibus colligitur est. Præter physicas disciplinas necessaria est sacra doctrina per revelationem comparata.

Quæst. à Theologia & Metaphysica. In responsione ad 2. docet D. Thomas licet sacram hanc doctrinam & Metaphysicam sint de eodem obiecto materiali, ut vocant, differre tamen specie propter diuersas luminis rationes, quibus procedunt: vnde, inquit, differunt secundum genus (id est, obiectum, iuxta modum loquendi Aristotelis 1. Posteriorum cap. 2.) non tam materia, sed formale.

In quo sensu accepta videtur fides secundum fideis D.Th. Sed opus est, vt conclusiones D. Thom. attendatis examinemus. Et illæ quidem in primis de lege ordinaria intelliguntur, qua Deus statuit homines re ipsa perducere ad vitam æternam: de potentia, namque absoluta, sine fide, & sine revelatione aliqua, quia potest homines beatos facere. Caetanus, quo cum plerique alij consentiunt, intelligit prima conclusionem de necessitate simpliciter ad salutem, secundam vero de necessitate ad melius illam obtinendam.

Interpretatio Caetani ex-pudicitur. At contra hoc est mihi argumentum, quod Paulus ad Heb. 11. cùm premisisset, *sine fide impossibile est placere Deo*, ac proinde fidem de lege ordinaria necessariam esse simpliciter ad salutem, reddens rationem subiungit, *Credere enim oportet accedenter ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerat.* Ex his ita conficio argumentationem. Sicut fides ultimi finis supernaturalem afferitur à Paulo simpliciter necessaria ad salutem, ita & fides huic pronuntiati, Deus est: sed illud pertinet ad reuelata prioris generis, de quibus loquitur prima conclusio: hoc vero ad reuelata posterioris, de quibus loquitur secunda: cùm ergo fides tantum sit de reuelatis, consequens est, ut sicut est simpliciter necessaria ad salutem reuelatio aliquorum, de quibus est sermo in 1. conclusione, ita sit necessaria simpliciter reuelatio aliquorum, de quibus sit mentio in secunda.

Caetani fons electio- Caetanus in eundem locum Pauli cùm animaduiceret, actum fidei pugnare cum scientia de eodem obiecto, atque de hac propositione, Deus est, posse haberi scientiam, dixit, *Paulum eo loco accepisse verbum, credere, in commune, & idem est, atque assentiri, sive per scientiam, sive per fidem, meliusque, scire Deum esse, quam id ipsum, incidenti cognitione credere.* Si autem cum iis pugnare non debet, quæ hoc loco afferit, accipere debet verbum scire, pro actu naturalis scientiae, qui solo lumine naturali elici potest: siquidem affirmat hoc loco, cognitionem habitam per reuelationem de rebus, quarum sit mentio in 2. conclusione, solum ad salutem melius consequandam esse necessariam. Atque in hoc sensu à Melchiore Cano intelligitur Caetanus, & in eodem impugnat, ut mox patebit.

Caetani fons senten- Canus 12. de locis cap. 4. vestigii Henrici Gaudensii quodlib. 8. quæst. 2. ad 1. secutus, distinguit duobus modis posse intelligi Deum esse: uno quidem, tanquam principium rerum naturalium: altero, tanquam principium effectorum rerum supernaturialium. Et ad cognoscendum, inquit, Deum esse primo modo, licet sit vtilis fides, reuelatio que diuina, tum ut plures perueniant in cognitionem eiusdem veritatis, tum etiam ut ingeniosi citius, & sine admixtione alicuius erroris eum adipiscantur, non tamen est simpliciter necessaria, quia rationibus naturalibus sciri demonstrative potest: ad cognoscendum vero Deum esse secundo modo ait, necessariam esse simpliciter fidem, reuelatio que diuina: eò quod rationibus naturalibus id inuestigari non possit. Vult ergo dictum Pauli,

A *Accedenter ad Deum oportere credere quia est, intellegendum esse de Deo, vt est principium effectuum, rerumque supernaturialium, quod non nisi fide, reuelationeque diuina teneri potest, & idcirco pertinet ad reuelata primæ conclusionis: non vero intellegendum esse de Deo, vt est principium rerum naturalium, quo pacto pertinet ad reuelata de quibus in 2. conclusione agitur.*

Confirmat hanc suam sententiam Canus aduferus expositionem Caetani in illum locum Pauli. Primum, quia Paulus loquebatur ibi de actu credendi supernaturali, qui est dispositio ad gratiam, iuxta Concilium Tridentinum scilicet 6. cap. 6. ubi ita legimus, *de hac dispositione scriptum est, accedenter ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerat.* loquitur vero Concilium de dispositione, qua sit per auxilium Dei speciale: sed scientia huius pronunciati, Deus est, absolute sumptuosa non intelligatur de Deo vt est principium efficiens rerum supernaturialium, est notitia naturalis: ergo neque est melior actus fidei, neque de ea loquitur Paulus, sed de Deo, vt est principium rerum supernaturialium, quo pacto de ea non potest haberi sciencia, que repugnat actu fidei.

C *Deinde quia Paulus loquebatur de actu credendi peccidem, quam paulò ante definierat, esse argumentum non apparentium, ut patet ex ipsa serie contextus: ergo neque loquebatur de scientia, neque de hac propositione, Deus est, absolute sumptuosa quæ potest ab ethimico accidente ad Deum esse prius scita, & evidenter cognita.*

Hæc tamen opinio Cani nobis non probatur, quoniam vim infert verbis Pauli: *cum longè diuersum sit, credere Deum esse, quod Paulus aut necessarium esse ad salutem, & cum eo Concilium Tridentinum & Doctores communiqueret, ac credere*

D *Deum esse principium rerum supernaturialium, quod Paulus non exprefcit.*

Dicendum itaque est, ad salutem & iustificationem, de lege ordinaria necessarium esse adultis assentium supernaturalem, comproducentem ex concurso habitus fidei, vel auxilijs supernaturalis, quo, prius natura quam infundatur habitus, signatur primus assentius, quo præparentur ad infusionem habitus, atque adeo necessarium esse illustrationem, reuelationemque diuinam, ut proprii in locis latè est ostendendum. Cùm enim finis, ad quem conditi sumus, supernaturalis omnia sit, statuerit; Deus, ut nostris meritis eidem commensuratis, ad illum perueniremus, nihilque sit in natura tam ex parte intellectus, quam voluntatis, quod illi accommodatum, commensuratumve sit, meritò exigit tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis dispositionem supernaturalem ad illum obtinendum per fidem, caritatem, & alia similia dona. Inter alia vero non patet, quæ ad hanc rem confirmandam afferri possent, nisi ad alium locum pertinenter, ynum illud in presentia testimonium sufficiat ex Tridentino Concilio scilicet can. 3. hunc in modum definitum. *Si quis dixerit, sine praeventione Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut ponitare posse, sicut oportet, ut ei iustificatione gratia conferatur, anathema sit.*

F *Cuiusmodi fides in lege natura fuit necessaria,* Porro in omni lege etiam natura ad eandem adulorum iustificationem exigit Deus harum duarum propositionum, & quod Deus ipse sit, & quod inquirentibus se remunerat sit, supernaturalem assentium, qualiter nunc explicauimus, sive is inevidens existat, quod frequentius evenit, sive propter concursum medijs demonstrativi, quod qua doque A 2 accidit,

Primum Ca-
ni argumen-
tum.

Caetani senten-
tiæ reiicitur.

Tera senten-
cia de neces-
itate fidei.

Universitäts-
bibliothek
Paderborn

4. Quæst. j. Artic. j. Disput. ij.

accidit, sit euidentia, arque scientia, supernaturalis ramen propter interuentum supernaturale causarum, à quibus effici paulò anteā diximus, atque adeo specie distincta ab ea, quæ gigneretur, modò causa supernaturales non concurserent.

De huiusmodi ergo assensu (qui semper in eo sensis est fidei, quod ad eum concurrat habitus fidei supernaturale, vel saltem auxilium supernaturale, quo compensatur concursus ipsius habitus) loquitur D. Paulus loco citato, docens, semper iustos, qui fuerunt, non solum in lege scripta, sed etiam in lege naturæ, habuisse fidem, & sine illa impossibile fuisse placere Deo: quoniam accedentem ad Deum, oportuit semper credere, saltem quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Et forte nihil aliud voluit Caietanus in eundem locum Pauli.

*Quæ fides
fuerit semper
necessaria ad
salutem.*

Iuxta haec ergo, concedendum est, semper ad salutem fuisse necessariam fidem, revelationemque, tam aliquorum, quæ pertinent ad reuelata, de quibus est ferme in 1. conclusione D. Thomæ, quam aliquorum, quæ pertinent ad reuelata, de quibus agit 2. conclusio, ut satis probat argumentum à nobis propositum. Quare 3. conclusio D. Thomæ, quod præter physicas disciplinas necessaria sit ad salutem sacra doctrina per revelationem habita, tam quoad aliqua quæ ad primam, quam quoad nonnulla, quæ ad secundam conclusionem spectant, tam certa meo iudicio est, etiam si intelligatur de necessitate simpliciter ad salutem, & non ad melius eam obtinendam, quam certum est, fidem supernaturalem aliquorum fuisse semper, & esse modò necessariam simpliciter ad salutem de lege ordinaria. Hoc autem secundum confessus aperte ex illo Habacuc 2. quod Paulus referat ad Roma. 1. ad Gal. 3. & ad Hebreos. 10. *Iustus ex fide vivit*, quia scilicet fundatum est iustificationis. Vnde continuo Paulus ad Heb. 11. subiungit, *fides esse substantiam id est, fundamentum rerum sperandarum*, cui scilicet iustificatio, & bona, quæ in alia vita speramus innituntur. Et addit, *sine fide impossibile esse placere Deo*, & accedentem ad Deum oportere credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Et in Concilio Tridentino sess. 6. c. 7. de fide dicitur, *sine qua nulli unquam contigit iustificatio*. Et Cap. 8. *Fides est humana salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis*, sine qua impossibile est placere Deo. Hec latius prosequimur 2. 2. q. 2. art. 3. vbi vide varia alia testimonia, & Doctores ac Patres, qui hec ipsum constanter affirment.

*Exponitur
D. Thom.*

Ad D. Thomam ergo dici in primis potest, cum non fuisse locutum in 2. conclusione de necessitate revelationis, ut haberetur notitia de illis reuelatis, qualis necessaria est ad salutem, sed solum ut deueniret in notitiā illorum, ad quos reuelatio non est necessaria simpliciter, sed solum conductit, ut talis notitia certius & à pluribus habeatur. Quod si dicamus, D. Thomam intelligendum esse de necessitate notitia ad salutem requisitorum, quod verius videtur, responderi secundò potest, locutum fuisse de necessitate simpliciter, sicut in prima conclusione: reddidisse tamen rationem, quare potius elegerit Deus notitiam per reuelationem supernaturalem, tanquam necessariam ad salutem, quam naturalem, ut scilicet per illum certius, & pluribus salus contingat. Tametsi potissima ratio est, quam supra reddidimus, quia scilicet cognitio naturalis de Deo non est dispositio ultimo fini commenstrata. Vel certè dici tertio potest, D. Thomam solum intendisse probare necessitatem sacrae doctrinæ ad salutem, coluisseque radicis examinare, quousque

A esset omnino necessaria, aut tantum utilis ad salutem.

Ad primum argumentum Cani, admisla maiori, neganda est minor, quando ad eam notitiam concurrat habitus fidei, aut auxilium supernaturale paulò superius explicatum: talis enim notitia & supernaturalis est, & melior actu proprio fidei: eò quod illum contineat eminenter, & habeat euidentiam, qua caret actus proprius fidei: vnde non minorem certitudinem ac firmatatem habet, quam proprius fidei actus.

B Ad secundum concedendum est D. Paulum loqui de actu credendi per habitum fidei supernaturalem, quem definierat, qui cùm innitatur solum autoritati diuinae, inclinat ad assentendum iis, quæ, ut præcisè sunt reuelata, non apparent, eaque de causa dicitur argumentum non apparentium: inde tamen non sequitur, actum, ad quem concurrat, non posse aliunde esse scientiam, videlicet si ad illius productionem argumentum aliquod necessarium ac euidentis simili accedit. Dixi, de actu credendi per habitum fidei supernaturalem, quem definierat, quoniam licet primus actus assentiendi reuelatis, esse possit supernaturalis ex influxu auxiliū particularis, ut dictum est, adiunctum tamen habet in eodem instanti habitum fidei supernaturalis, qui actum illum tamquam ultimam dispositionem confeatur, & cuius influxu idem actus post primum instans productionis illius continuatur.

DISPUTATIO II.

*Quid hoc loco D. Thomas, nomine sacrae doctrinae
intelligat, eiusdemque utilitas, ac necessitas
magis explicantur.*

D Ræcedens disputatio postulare videtur, ut expli-
cemus, quid nomine sacrae doctrinae, quam D. Thomas ad salutem necessariam esse definiuit, sit intelligendum. Etenim, si vna ex parte attendas ad probationes D. Thomæ disputatione precedente relatas, inuenies solum probare, fidem, nec tamen quoad omnia reuelata, sed quoad aliqua tantum, esse ad salutem necessariam: non vero notitiam conclusionum quæ ex reuelatis in Theologia deducuntur. Nullusque sane vel mediocriter eruditus assertere potuit notitiam eiusmodi conclusionum, atque adeo Theologiam ipsam, esse necessariam ad salutem, cum & vulgus fidelium illam ignorat, & antequam a sententiarum Magistro coepit in artem redigi (quod quadringentis ab hinc annis factum est) imo ante omnes Scripturas sacras, homines in lege naturæ, quando pauca admodum reuelata erant, talutem consequerentur. Ex alia vero parte, cum D. Thomas questionem huius articuli & sequentium moueat de Theologia, quam intendit tradere, nihil ad rem pertinere videtur, quod hoc loco nomine sacrae doctrinae solam fidem, & non ipsam Theologiam intellegat.

E Pro solutione huius difficultatis sciendum est, principia in Theologia esse ea omnia, de quibus fides immediate habetur, ea autem sunt, tam quæ continentur in facie litteris, quam traditiones, quæ conservantur in Ecclesia tanquam certiores, vel per Christum dominum, vel per Apostolos reuelatae, de quibus in materia de fide sermo erit. Theologi vero negotiorum est, veram interpretationem huiusmodi principiorum querere, & inuestigare, eadē defendere, aut etiam probare aduersus illos, qui quædam eorum admittunt, alia negant, quales sunt heretici atque

*Principia in
Theologia
guanam sint.*

*Theolog
muni.*